

verborumque cortice, sed in efficaci agnitæ veritatis exercitio, virtutisque nucleo, positam esse. Sive contemplemur Eruditionem, ut diximus, secundariam; neque hæc citra hujus mediæ usum verè acquiri poterit. Nam ratio sibi soli relicta rerum omnium genuinum finem aut non perspicit, aut perspectum, si alienis non suffulciatur adjumentis, assequi nequit, & insuper, clariori lumine non præeunte, ad levem dubii ventum instar folii cespitat, errorumque cassibus incidens ita sæpe constringitur, ut vel nunquam, vel difficulter eluctari valeat. Testabatur id olim Ethnicis credita naturæque lumini absurdissima πολυθεότης: conspirant hodie in assensum tot testes, quot opiniones indeque ortæ contentiones. Tandem quoque ratio in eruditionis usu mirum quantum cæca sit. Sæpe enim, qui cum subtilissimi ingenii præstantiâ stupendam doctrinam atque prudentiam conjunctam habent, eâ non raro in accelerandi sui ipsius exitii instrumentum utuntur, uti nec nostræ ætati hujus notæ exempla sunt ignota.

§. 35. Qui igitur Numinis auxilium sibi conciliat piis precibus, ab eo, qui solis naturæ viribus innixus studet, in eo differt: 1. majori pollet perspicaciâ in rebus etiam naturæ obviis; 2. sedulitatem ipsius divina semper comitatur benedictio; 3. majori circumspectione ipsa studia dirigit, omniaque, quæ ingenii vires depascunt, diligentius evitat; 4. tandem quoque molestias in studiis passim obvias divinæ gratiæ solatio lenit, & metam præfixam excitatius urget.

§. 36. Secundum medium generali vocabulo dicitur *Industria*, quæ vero in diversas partes abit. Equidem si ad ipsa Eruditionis initia & quasi incunabula recurrimus, existimamus, ipsam olim sola *Meditatione* fuisse acquisitam. Admodum enim probabile est, Adamum rerum naturalium obtuitu raptum in admirationem de singularum naturâ investigandâ serio cogitavisse, ut vel inde patet, quod agrum coluisse dicatur. Nisi addere quoque velimus *Auscultationem*; quoniam ipse DEUS Præceptoris munere functus, ipsi & miseriam, quam lapsu incurrerat, & redemptoris adventum graviter manifestavit. Cæterum absurditatis unguibus facile se produnt, tum nugæ Isaaci Peyrerii, qui Præadamitas somniatus, Adamum quodam Samboscer, Præceptore usum fuisse ait, tum Rabinorum commenta, quibus quidam Angelus Raziel dictus primus Adami informator audit.

§. 37. Hoc